



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Die septima Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

pereant, exaltandam, dono prophetiae prædicebat. Nec multo post Bertulphus Brugas adiens, nè cædis conscius haberetur, per duos famulos curauit eam strangulari. Quod factum est anno millesimo septuagesimo. Et mox diuersa miracula sunt subsecuta. Apud pistorem crescebat fatina, pro panibus in sepultura distribuendis. Humanus vbi necata est, in candidos lapides vertebatur. Aquæ in qua præfocata iniecta erat, à febribus & alijs morbis, potata sanabat. Similiter sepulcrum & sacrum corpus Dominus miraculis decorabat. Vnde post annos quatuordecim, Ratbodo episcopus Nouiomensis, tertio Calendas Augusti, sacrum corptis leuavit. Et ad eundem vitæ & martyrij historiam conscripsit Drogo monachus & sacerdos Gestellensis.

Drogo To-  
mo quarto  
Surij.

a. Eo anno vide Meyerum.

### Die septima Iunij.

*De sancto Wilibaldo episcopo.*

*Ex swidberti historia, inscripta S. Marcellino.*

**I**N Germania, natalis sancti Wilibaldi, episcopi & confessoris. De quo, & fratre Wunealdo, in historia sancti Suidberti legitur, quod cum alijs Apostolicis viris, quorum dux erat Wilibrordus, ex Anglia ad prædicandam fidem Christi Traiectum appulerit. Vbi aliquamdiu in primiua Ecclesia Frisiæ, Canonici & prædicatores resederunt. Sed habita synodo decretum fuit, ut prædicatores nonnulli in circumiacentes regiones barbaras mitterentur. Qua occasione uterque missus est in Orientalem Franciam, vbi senior obiit episcopus Aureatensis, siue Eistréten-

S 2 sis, multis

sis, multis miraculis clarus, iunior autem abbas Heidenheimensis.

Alij eos referunt ad tempora paulo posteriora, Bonifacij videlicet eorum auunculi: & aliter narrant historiam. Quorum fortassis concordia ab Eeistretensibus dari potest.

Horum autem, & sororis germanæ, sanctæ Walburgis, nonnullæ reliquiarum portiones habentur Furnis in diœcesi Iprensi. Patris autem, regis Richardi vel Riccardi corpus, quiescit Lucæ ad sanctum Frigidianum, ubi Romam adiens obiit, & natalem habet die septima Februarij.

a Id est Willibaldus.

### Die octaua Iulij.

#### 1º De sancto Grimbaldo confessore.

Ex Goscelino, Chronicis diui Bertini, & Legenda sanctorum Angliae.

**V**intoniæ depositio sancti GRIMBALDI abbatis, & monachi Sithiensis cœnobij. Vrbs enim Morinorum, quondam ampla, & antiquis titulis opum & bellorum inclyta, illustrior nunc est confessoris Christi genitura. Siquidem à septenni infantia, suis annis fortior ac prudenter, monasterium præoptauit. Vnde suscepimus est, & sancti Samuelis sacrificio sacratus in cœnobiali diui Bertini gremio, sub patrocinio clavigeri Petri. Vbi sacratissimis institutionibus inspem cœlestium, in virum perfectum, in gaudium coaluit angelorum. Sed quis omnem virtutum eius seriem percurrat: quam mellifluus, benignus, amabilis fuerit: quam ardens cœlestibus desiderijs terrena quæque transcenderit: ut sacris lectio-